Quodlibetaria Quaestio agitanda In Scholis Medicorum die 21ª Januarii. M.

Joanne Le Bay Moderatore.

An In Exanthematis vacuandum ?

Cutis nativum hominis operimentum, sensus expers, temperatissima partium, imbecilla tamen: crebris exilibusque perviis spiraculis, tum externis, tum domesticis patet iniuriis. Nam cum morborum media foras propellentur humores, aut copia praemolesti, aut qualitate molesti, ab his deinde cutibus tantam perniciem accipit, ut talis nunquam consaucietur. quibus in tumorem viam morborum genera complexum, sic se offerentibus aut sparsim multa cum eminentia conspicuis tam in parte quam in toto corporis habitu alii, atque alii existunt affectus: maligni ancipitem crisim facientes, modo contagiosi, modo venenati, utraque antipathia et mali et seminis cor vitalem nobilissimum inficientes.

In parte quidem a multo, proboque sanguine phlegmone, a vitioso furunculus, a uberiore deterior atroque carbunculus, suppurationes, vel ... & febris non expers haud secus ac bubo in solis inguinibus insidens. His finitima sunt exanthemata, quae in summam cutim (quo interiores affectus transferri bene) a vitiosis aliis ceteris, alias a sanguinis fervore, & colluvie utraque, et lepra squamosa in elephantiasim immedicabilem facile degenerans, & scabies nitrosa pituita, atque aurigo utriusque bilis soboles. In illis ducuntur variolae, morbilli rubentes ac purpureas lenticulas: pustulas non paucas contagiosas quidem & epidemias, in quibus seminarium, ad id quod recipit est analogum, quod in omnes, omnis aetatis, sexus, conditionis homines vis, utque in vita qualibet a veris constitutione, & anni parte immadere possunt.

Atque ut eiusmodi affectus cutanei ab utrisque seminis simul agentis corruptela, residuoque menstrui (a quo minores noxas quam a semine corrupto) tum vitio lactis illius germani alimentitii (cui respondent humores, tum aëris (quo corpora magis mutantur quam cibo & potu) caeca nunquam tamen e coelo demissa malignitati, eorum ortum, fomitemque sortiuntur; ita propriis segregantur notis, variolae enim quarum paucas multis, externas internis, parvas magnis, albas lucentibus & nigris, molles duris, vitas tardius sunt serviores a crasso, affluentique sanguinis recremento sparsim; morbilli a bilioso magis & maligno subito pullulant, non aliter vibices a fervido & subtili potius quam impuro, ut lenticulas purpureas, postpositae variarum febrium saepe comites citra tumorem excitantur.

Etsi ab initio vix sese prodant conspicue; tamen ea demque febris bonis aegri robur praecedunt non subsequuntur. morosa penitus quam mordax, in pudorem vulgus iam pervagata: pulsus celer & frequens; capitis dolor cum gravitate & delirio, totius faciei, oculorumque rubor, pruritus sequitur, quibus si accesserint vocis raucedo, difficilis vehemensque respiratio, (alioqui consuetudine caloris insiti) atque syncope mortem esse in propinquo denunciant, veluti angina, & urina nigra omnium pessima; alii denique cruenta proluvies, morbillorum nuncia est non fallax vomitio, aestusque maior & inquietudo. omnium exanthematum eo est veluti bubonum, ut si tardius emergunt, interius reconduntur, perniciem afferant.

Cum igitur in his manifesta sit actio naturae, seminarium contagionis foras expellentis, ea dura omnibus subsidiis procuranda est vacuatio, incidenda vena etiam papulis exuberantibus, non minus severo quam in phlegmone, putridaque synocho. alioqui hirudines affigendas & cucurbitulas, ut menses atque haemorrhoides provocandas. neque vero negligenda purgatio, quas quaedam tam leni pharmaco & eminato, quam ab horum ab usu refrigerantium nimis & astringentium, malo tamen incipiente cor antidotis, pulmones bechicis, fauces gargarismis, oculi collyriis astringentibus muniuntur eodem, adhibito interea victu contemperante prohibenteque aëre frigido magis, flatibusque exposito. quod si ignavius erumpunt frictione molli, fotu mediocriter calido, hydroticis, araioticis, anastomoticis educuntur. ubi maturuerint confringuntur acu, deterguntur, sanie vestigia cosmeticis delentur.

Ergo In Exanthematis vacuandum.

Deffendebat Lutetiae M. Claudius Sellier Lingonensis. A. R. S. H. M. D. LXXIIII.

Dom. Doctores disputaturi.

M. Hugo Prevosteau. M. Antonius Valet. M. Ludovicus Cochin.
M. Nicolaus Ellain M. Nicolaus Milot. M. Simon Poncet.
M. Joannes de Launay. M. Guillelmus de Baillou. M. Nicolaus de Cormeilles.

B.I.U.P. BIBLIOTHÈQUE